

reclament, neque Pontificem pro declaratione adeant, ex eo videtur reddi manifestum nihil illos in huius sententiae praxi deprehendere, quod contrarium Pontificiae dispositioni sit, nec sperare se posse quidquam, quod amplius urgeat obtinendum: eo quod Pontifices maxime curent, ut privilegia sua, & Religiosis praesertim concessa, quae in commune bonum tendunt, exactissime conferrentur. Pro quo inter alia est Cap. *Quando amplius*, de Privilegiis, ibi: *Mandamus quatenus huiusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cetero non feratis, quia si super hoc ad Nos clamor denuo ascenderit, non poterimus committentibus oculis pervenire, quia promulgatores talium sententiarum severitate debita castigemus.* Sic ibi: ubi ad Archiepiscopos & Episcopos sermo dirigitur ab Honorio Tertio in fauorem Cluniacensium.

Pontifices sua privilegia conservari desiderant.

Contraria fundamenta asseruntur.

Timor in illius praxi nullus.

Indis Bulla non egere pro gratiis de quibus agitur.

314 Neque obiecta vrgunt. Ad primum enim dicimus de sensu verborum in exceptione constare iuxta datam explicationem. Ad secundum, eo non obstante, Bullam in magna estimatione habendam, cum multa alia, maiori pretio dato, comparanda concedantur. Et praxis ipsa ostendit nihil talem exceptionem ob stare, cum vix sit, qui Bullam non sumat, etiam si alia de Religiosorum privilegiis notitia sub sit; vel certe si non sit, ex ea parte nullum expeditioni Bullae obstaculum adhibetur. Ad tertium negatur praxim generaliter acceptam sic habere, cum de contraria fide faciat Cardinalis Lugo. In Iubilaeis quidem observari id solet, ut sine licentia Commissarii minimè publicentur, quia iudex est talium gratiarum specialiter deputatus: licet Iubilaei Anni Sancti, & similia alia sit ratio. Id autem, de quo agimus, diuersum est, de quo ad eum non spectat iudicari, cum à Pontifice circa illud ligatae manus sint exceptione praefata. Vnde timor Trullenchij deducendi in praxim sententiam nostram, non est cur debeat in aliorum cordibus residere, cum de praxi tali constet, & eam non solus Cardinalis Lugo, sed Diana etiam contestetur.

315 Dico secundò. De Indis loquendo, sine dubio asserendum est eos ad usum gratiarum, de quibus loquimur, Cruciatam non egere. Id constat ex amplissima concessione Pontificum, & praesertim Gregorij XIII. per Bullam authenticam die 1. Ianuarij Ann. 1573. ad instantiam Philippi Secundi immortalis memoriae Regis, qua conceditur ut Indi, sicut & nati ex Indis & Mauris, absolvi possint ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, & etiam ab haeresi, ab Archiepiscopis, & Episcopis Indiarum, non obstante reservatione haeresis per Bullam non concessa. Quae facultate gaudent etiam Religiosi Mendicantes, & alij eorum gaudentes privilegiis, in foro poenitentiae, ut aduertit Alfonso à Veracruee in suo Compendio. V. Episcopos, & Fr. Ioannes Baptista in animaduersionibus pro Confessarijs Indorum, Pag. 443. Vers. Circa hanc, per specialia ad id privilegia generaliter concessa, ut tales Religiosi possint in foro dicto quidquid maioribus Praelatis concessum inuenitur. De quo privilegio, & de aliis pro Indis concessis inferius, Deo dante, Titulo inquam 12. differemus.

DIFFICULTAS V.

De facultatibus non renocatis pro Religiosis, & praesertim de illa quae generaliter conceditur circa electionem Confessarij.

316 Quid facultas sit dictum num. 281. & vix circa illas quidquam occurrit, in quo haerere possimus, supposita doctrina, quam circa Indulgentias & gratias praemisimus: similiter enim ac de gratis philosophandum, quia eadem prorsus fundamenta sunt, si qua occurrant, iuxta datam explicationem. Amplissime enim interpretandae sunt, cum in earum vii periculum inualidationis non subit respectu eius circa quod versatur, & possit tali facultate uti vel culpabilis imputari. Stante autem licito usu, non obstante Bulla, oriri circa illum aliquam difficultates possunt, sicut circa alia, quae nullum ad Bullam respectum important, neque nostri instituti est omnia huiusmodi persequi, ne molimini nimium operosi negotium sine spe terminandi complectamus. Et talis equidem esse poterat quaestio illa circa usum altaris portatilis, qui privilegio Pij Quarti concessus Canonicis Regularibus S. Saluatoris Lateranensis die 18. Maij Anni 1565. ut quavis infirmitate detenti, quibus ratione illius, aut iudicio Medici, vel Superioris praescripto, & cubiculis suis exire prohibentur, durante tantum infirmitate, Missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti & honesto, per aliquem Sacerdotem, per eos iuxta libitum suum eligendum, celebrare faciant, & in cubiculis iacentis Missam audire, & Eucharistiam sumere possint ordinariorum locorum, seu quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita; & ut ipsi, ac Presbyter per eos eligendus Missam huiusmodi respectuè audiendi ac celebrandi, plenam & liberam licentiam & facultatem habeant. Praedictum autem privilegium in usu haberi satis aperte significant qui illius mentionem faciunt, scilicet Pasqualigus *Decisione* 174. & 176. *Lezana* Tomo 3. v. *Altare*, num. 16. P. Quintanad. Tomo 1. *Tractat.* 7. *Singulari* 34. num. 7. P. Pellizarius *Tractat.* 8. *Cap.* 2. num. 96. Diana *Parte* 9. *Tractat.* 1. *Resolut.* 34. P. Dicastillus *Tractat.* 5. *Disput.* 4. num. 104. Thomas Hurtadus *Tractat.* 12. num. 2228. Cardinalis Lugo in *Tractatu* uncula de viua vocis Oraculis circa privilegia Societatis, V. *Missae post* s. 6. & illud Compendio Societatis addendum voluit R. P. Generalis Murus Vitellescus, ut testatur idem Cardinalis.

Circa facultates sicut circa gratias philosophandum.

Privilegium speciale circa usum altaris portatilis in cubiculis Religiosorum.

317 Circa quam concessionem admiratur Diana Pontificum liberalitatem, & modestiam pariter Regularium, qui parè & rarissime illa videntur. Quod quidem & ego sic faciendum monuerim, licet circa privilegij valorem non videatur posse dubitari, cum de illo constet, & post Concilij Tridentini publicationem fuerit, ut benè citatus Cardinalis obseruauit: nam dubitari nequit quin in cubiculis infirmorum multa occurrant indecentiae plenae, quae neque oculis aliorum possunt sine offensione praesentari. Quòd

Rarus illius usus apud alios.

Quòd si dicas ex eo fieri numquam debere Missam in praedictis cubiculis celebrari, quia numquam licet in loco indecenti id fieri, ut Pontifices praecauter quoties licentiam pro celebratione concedunt, vnde & in Bulla nostra praeter licentiam Commissarij approbatio Ordinarij praescribitur per uitationem, & designationem, iuxta id, quod à Consilio est Tridentino decretum *Sessione* 22. in *Decreto de obseruandis in celebratione* &c. & in privilegio adducto id etiam statuitur, ut ex eius tenore constat. Ad id dico, etiam si ordinariè in praedictis cubiculis illa, quae dicuntur, occurrant, & propterea non debeat Missa in illis frequenter celebrari; pro rariore celebratione aliam esse rationem: tum quia pro illa possunt decenter ornari & mundari cubicula, quod pro frequenti non potest moraliter ita praestari: tum quia licet minùs aliquid decens adit, status Religiosus, & locus sacer, quicumque ille sit, cum in illo immunitas Ecclesiastica vigeat, & pars sit Religiosae habitacionis, quae sanctitatem quandam continet, vnde & Religiosae domus sanctae & sacrae compellantur: & praeterea Religiosae professionis meritum, suo iure postulant, ut eo, quod minus apparet decens, non obstante, dispensatio aliqua circa celebrationem praebatur. Sic enim pro celebratione in domibus saecularium privilegium in Bulla conceditur; cum tamen certum sit multa, quae indecentia sunt, in eisdem reperiri: propter conuenientiam enim aliquam in eo potest dispensari, attenda bonitate Christi immentia, quae in hoc Sacramento elucet, vnde horrori non est ipsi cubicula immundissima ingredi, cum pro Viatico deferuntur; & in stomachos fetidissimos penetrare.

Cur non frequenter licent, cum frequenter non ita.

Cum subordinatione ad Praelatos situr.

Quam Pontifices maxime enstodiam curant.

Cap. Pastoralis, de Privilegijs.

318 Licet autem facultas infirmo tribuatur, ut possit celebrantem pro suo libitu eligere, & sic electum facere ut celebret, nullius ad hoc licentia requisita, cum illis plena & libera ad hoc licentia & facultas praebatur: non est tamen propterea Religiosa subordinatione submouenda, quia id minimè verosimile est in Religionibus, vbi illa exactè custoditur. Vnde P. Quintanad. addit tunc Superiorem localem altare approbaturum, siue ex propria auctoritate, siue ex rati habitatione aut commissione praesumpta Prouincialis. Quod videtur etiam probare Diana verbis citati Auctoris adductis. Verum quod illi dicunt, non videtur pro debita subordinatione sufficere, quia tantum in altaris approbatione constituitur; cum tamen etiam locus considerari debeat & tempus & persona, & in electione celebraturi obseruanda etiam est: cum non deceat Superiorem ita ligatum privilegio euadere, ut non possit negare quod infirmus petit, & minimè occupare electum in re alia, ut tunc forsitan oportebit. Existimo ergo subordinationem erga omnia praedicta minimè tolli; quia id nequit de Pontificia prouidentia circa Regularem obseruantiam praesumi. Et quemadmodum privilegia concessa Religiosis, sine prauidicio iurium Episcopopalium debent intelligi prodiisse, vbi aliud eorum tenore manifeste non constat; ut habetur in Cap. *Pastoralis*, de Privilegijs, vbi sic dicitur: *Ad quod respondemus, quod nisi in Indulgentia Summi Pontificis id continetur expressum, suo Episcopo inconsulto in*

possessionem ipsarum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali iuri non creditur derogari. Haec Innocentius Tertius. Pariter ergo iuri Praelatorum Regularium non est credendum derogari à Pontifice, ut ijs inconsultis possit subditus in re momenti tanti independentiam omnimodam usurpare. Et quidem si illa esset talis, non posset in usu dicti privilegij ea moderatio seruari, quia vnusquisque pro suo libitu posset celebrationem Missae disponere, & quod ab alio videret fieri, etiam & ipse facere vellet, deuotionis titulo ad auctoritatem traducto, cum dispensio Religionis.

319 Possunt ergo Praelati ipsi id circa se infirmos praestare, cum ita maior eorum dignitas videatur postulare. Possunt & alij, quibus suo arbitrio agere permittitur, viri graues in Religionibus, in quibus non solet subordinatio exactè seruari: sic enim illa non laeditur, cum certum sit Praelatos id non aegre ferre, aut fore laturos: Et tales profecto videntur illi, quibus praedictum est privilegium attributum: erant Canonici Regulares, quibus constat laxiorem esse agendi rationem, vnde plus illis indultum, quam aliis expedire possit quoad facultatis huius modum in sui exercitio; licet quoad substantiam nihil detrahatur. In alijs ergo Religionibus, in quibus omnia iuxta obedientiae praescriptum transiguntur, cuncta ad exercitium tale spectantia cum subordinatione omnimoda disponenda sunt, ut scilicet licentia ad usum petatur, & iuxta illam cetera disponantur. Quod in Societate nostra sic agitur, quando rarissime privilegium istud in usum venit: & aliter rem tractari, singulare esset in subordinatione, quam in omnibus solet seruari, portentum: & hoc modo usus privilegij dicti à R. P. Generali permissus. Ex toto autem Privilegij tenore constat non posse eum, cui conceditur, Missam dicere, quod adnotasse oportuit; non enim defuerunt, qui extensionem circa hoc non sunt veriti praestari. Sed remota illa Doctorum prouidentia Praelatorum. Ratio autem limitationis est obuia.

Praelati circa se possunt quod circa alios in usu dicto.

Qualis in Societate usus.

320 An autem liceat usus talis quando Religiosi extra claustrum agrotant, & in domibus saecularium degunt, potest vterius inquiri. Et affirmat Pasqualigus, quem refert, nec improbat P. Quintanad. Sed non videntur audiendi, ut ex tenore verborum privilegij ipsius apparet, cum in eo dicitur: *In cubiculis suis*: quod certe ad saecularium domos nequit aptari & multo minus id quod additur; *In proprio cubiculo.* Vnde id negant Diana *supra*, Hieronymus Garcia *Tract.* 3. *Difficult.* 8. *Dub.* 2. *Puncto* 3. num. 33. & alij, qui dicunt nullum privilegium circa hoc esse in usu. Et quidem vbi Cruciatam publicatur, non modicam sic celebrare faciens, & celebrans ipse litis occasionem excitabunt. Praestat ergo ab huiusmodi extraordinarijs ausibus abstinere. Quod & pariter dicendum de privilegio alio Alexandri Sexti concessio Minoribus, cuius mentio extat in eorum Compendio V. *Missae*, 1. s. 7. & apud Emmanuelem Rodericum Tomo 1. *qq. regul.* q. 43. *artic.* 4. habereque etiam locum post Tridentinum, si Episcopi non obstant, affirmat Thomas Hurtadus *Tract.* 12. num. 2225. de quo & agit Fr. Ioannes Baptista in *Animaduersionibus*

An liceat egrotantibus extra claustra. Vbi contra nonnullos pars negatiua statuitur.

Quam Pontifices maxime enstodiam curant.

X *citatis*

Privilegiū
Minorum
celebrandi
in Cameris
ſeculariū,
quatenus
acceptum
dum.

citatis V. *Altere. num. 3. & ſeqq.* In quo conceditur Fratribus prædictis vt poſſint celebrare Miſſas in cameris ſecularium, vel in plateis, dato quòd non videantur loca honeſta. Affirmat autem idem P. Ioannes Baptiſta ſimile privilegium Societati conceſſum à Gregorio XIII. Sexto V. & Gregorio XIV. Sed conceſſiones iſtas temporales fuiſſe, & iam earum tempus elapſum. Verum nihil tale Societati conceſſum, ſed tantum pro Indiis vſus altaris portatilis in quocumque loco decenti & honeſto. Vt videri poteſt in *Compendio Indico. V. Altare.* & in Bullis Pauli V. Urbani Octavi, & Innocentij X. in quibus dicitur debere eſſe in loco decenti, & vbi non eſt commoditas Eccleſiarum, & in caſu neceſſitatis. Propter generalitatem autem conceſſionis videri poteſt Auctori præſato privilegium ad cameras ſecularium extendi: cum tamen in contrarium ſtet iuris regula notiſſima, quòd in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie verosimiliter conceſſurus. in 6. & cum in tali privilegio dicatur vſum eſſe in loco decenti debere, & ipſe Auctor fateatur cameras ſecularium non videri loca honeſta: ex eo fit non debere generalem conceſſionem ad ea protendi.

Neque in
caſu ne-
ceſſitatis
admitten-
dum. Et
quid ſa-
cramentum
in illa.

321 Neque ex eo quòd caſus neceſſitatis apponatur, videri ſtatim debet in cameris ſecularium poſſe celebrari, quando ſcilicet commoditas Eccleſiæ non eſt; quia tunc etiam locus aliquis diſponi poteſt, in quo honeſtius celebretur, quamvis ſub dio: vt cœlum ipſum templum ſit, & terra tamquam ſcabbellum pedum Dei ſuum etiam ſacrum miniſterium offerre videatur. Vnde idem Auctor ita ſcribit: *Advertant tamen Religioſi, ne vſantur privilegiis concedentibus vt Miſſæ poſſint celebrari in Cameris ſecularium, vbi ipſi dormiunt, & ſeminis non ſolum ſuis, ſed forte alienis coniunguntur. In quibus copulis, etiam licitis, aliqua aliquando obſcœna interueniunt. Indecentiſſimum enim eſt vti talibus privilegiis & licentiis, ſimilibus in locis niſi aliqua urgentiſſima neceſſitate inſtante. Nam dicit Doctiſſimus, nec non piſſimus Mag. Sotus in 4. Diſt. 3. p. 3. art. 13. pag. 572. Col. 2. magis velle quem non audire Miſſam, etiamſi non poſſit ad Eccleſiam ad eam audiendam ire, quam permittere vt in prædictis cameris dicitur: niſi eſſet perſona admodum illigens, cum quo facilis diſpenſatur. Que verba maxime notent Fratres illi præſepi, qui in populis Indiæ vbi commorantur Hiſpani, inhabitant. Nam nullus ferè eſt Hiſpanus, qui non credat, & ſe iactet talem eſſe, vt apud eum debeat ſacrum optimo iure celebrari. Sic ille. Videndus etiam P. Suarius Tomo 4. de Religione Lib. 9. de Societate. Cap. 3. num. 12. vbi ait quòd licet à Religioſis Societatis poſſit miniſtrari Euchariftia priuatim faciendò Sacrum in domo ægroti, in oratorio ſcilicet, aut loco alio eiuſdem domus; locum tamen debere approbatum eſſe ab Ordinario: & ita quoad hoc temper hoc miniſterium ab Ordinario penderè: obtentâ tamen facultate ad faciendū ſacrum, non fore neceſſariam licentiam aliam ad miniſtrandam Euchariftiam, quia id ex privilegij licet. Idem autem dicendum de Religioſis aliis, quia nulli ſunt maioribus gaudentes privilegiis, quam Societas IEſV gaudeat, vt Compendia comprobant.*

Ad mini-
ſtrandam
Eucharis-
tiam in
Oratorio
à Religioſo
requiritur
Oratorij
approbato
per Ordi-
narium.

322 Sed numquid ſi ſecularis in Monaste-

rio decumbat, in eius poterit cubiculo celebrari? *Secularem agrotantem apud Religioſos, an poſſit in eius cubiculo celebrari.* Negat Paſqualigus *Deciſione 177. citatâ.* Sed affirmat P. Quintanad. *num. 7. citatâ.* & Thomas Hurtadus. *num. 229.* quia pro hoc Regularium privilegia ſuffragantur, cum antea tunc in eorum domibus erigatur. Videtur dicendum virtute privilegij citati Pij Quarti id minimè licere, quia aperte loquitur quando Canonici ipſi inſirmanantur, vnde nequit vltatenus ad ſeculares extendi. Quòd autem nec virtute alterius privilegij id liceat, ex eo videtur efficaciter poſſe probari, quia privilegium dictum vt maxime ſingulare ab omnibus eſtimatur, & ita, vt vidimus, R. P. Generalis Mutius in Compendio Societatis cenſuit apponendum. Ad quid autem opus illo, quando quod per illud conceditur, à ſingularibus poterat ſuorum privilegiorum virtute præſtari? Deinde, licet verum ſit vſum altaris portatilis conceſſum fuiſſe Religionibus Mendicantibus, ſed id ante Concilium Tridentinum accidit, vt patet ex allatis à P. Quintanad. *num. 2.* & quæ pro Societate habetur conceſſio in Bullâ Pauli Tertij *Ann. 1548.* & incipit, *Licet debitum, ſatisque ampla eſt, dum per eam licet habere Oratoria, & in eis, ac quocumque alio honeſto ac congruenti loco in Altari portatili, etiam tempore Interdicti Miſſas, & alia etiam diuina Officia celebrare:* etiam Tridentini publicationem autem, in quo talia privilegia reuocata cenſent multi per Decretum citatum *ſeſſion. 22.* Item, quidquid eo in genere conceſſum eſt, aut eorum ſpectat commodum, & ita planum eſt ad ſeculares extendi non poſſe aut ipſorum miniſteria: ſic antem tantum conceditur caſus neceſſitatis, vt vidimus *num. 320.* Atqui vt Miſſa dicatur in Cameris, in quibus ſeculares ægrotant, nulla neceſſitas eſt, quia Euchariftia ex Eccleſiâ poteſt afferri, & audiendi ſacri præceptum non urget: ergo non habet locum privilegium reſpectu illorum.

vt non li-
cent effi-
cacter ar-
guitur.

Oppoſitum
tamen eſſe
non inue-
roſimile
oſtenditur.

Concilium
Tridentini
privilegia
Altaris
portatilis
non reuo-
caſſe.

Quid circa
id poſſim
Episcopis.

323 Verum hæc licet ſatis verosimilem partem iſtam oſtendant, non videntur tamen oppoſitam penitus inueroſimilem comprobare. Nam privilegia, quæ vſum Altaris portatilis intra domos præſertim Religioſas concedunt, ſuam vim obtinent etiamſi ante Tridentini publicationem conceſſa fuerint: quia Concilium ea non reuocat, ſed Episcopis tantum præcipit vt non permittant Miſſas priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eſdem Ordinariis designanda & à ſecularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi. Atqui domus Religioſæ non ſunt priuata, & que intra ipſas, non ſunt omnino extra Eccleſiam, cum tota domus Religioſa velut Eccleſia habeatur, vnde & privilegio immunitatis fruitur, vt *num. 317.* dicebamus. Præterquam quòd nulla ibi reuocationis forma eſt, & vbi illa non apparet, non eſt odioſè contra privilegia pronuntian- dum. Poſſunt ergo Episcopis celebrationem prohibere, ſed non quamlibet, tantumque illam, etiam non videtur loci decentia reſpondere. Quòd autem Camera Religioſæ decentes & honeſtæ ſint bene obſeruat Lezana adductus. *num. 316.* & à Diana etiam *Parte 6. Traſt. 8. Reſolut. 10.* & quòd Conſilium non loquatur de celebratione intra domos Religioſas, ex eo videtur omnino ſimile verò, quia vix Episcopis ſcire poteſt quid intra

Rationes
oppoſite
diſtulerunt.

intra Religioſos parietes peragatur. Et ita non reuocata privilegia per Tridentinum tenent multi, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 9. Traſt. 1. Reſolut. 34.* P. Quintanad. *Singulari citatâ, num. 1.* & Fr. Ioannes Baptiſta *ſupra, num. 5.* licet plures addant, *Dummodo ab Episcopis non prohibeatur,* vt & Thomas Hurtadus *ſupra, num. 225.* Quòd intelligendum eſt extra proprias domos, aut intra, illas publicè tamen, & ſine decentia loci & ornatus. Et ita per hoc reſponſum eſt ad ſecundam rationem. Ad Primam autem dico concedi liberam illam facultatem eligendi celebrantem, ita vt Ordinarius contradicere nequeat modo explicato. Ad tertiam; licet privilegia aliqua caſum neceſſitatis expriment, non ita alia, vt eſt citatum Pauli Tertij: ſufficit ergo ſpecialis congruentia, vt ſi fundator, aut Benefactor inſignis ægrotet: tunc enim valdè expedit, vt Religioſo vlti privilegij ſui, quò ordinariè non vitur, ſuam erga illos gratitudinem proteſtetur. Et hæc circa prædictam facultatem. Iam de aliâ, ad quam difficultas præcipua reuocatur.

Bullam Cruciatae pro eligendo Confessario in ordine ad reſeruata ſine Prelatorum licentia minimè Religioſis ſuffragari.

Religioſos
poſſe eligere
Confessarium
in ordine
ad reſeruata,
qua pro-
bent ratio-
nes.

324 Non omnes capiunt, neque capiunt verbum iſtud, cum ſint non pauci, qui contendunt oppoſitum eſſe probabile, quòd ſibi ſufficere exiſtimant, vnde conantur quæſitis hinc inde rationibus & auctoritatibus poſitionem iſtam comprobare. Ex quibus illa præcipua eſt: nam Bullæ vſus Religioſis conceditur, ſicut & aliis, & circa electionem Confessarij nulla exceptio additur: ergo quemadmodum aliis conceditur illa in ordine ad reſeruata, ita & ipſis: nam qui totum dicit, nihil excludit, & in toto pars includitur, vt eſt iuris regula vulgatiſſima. Et quidem cum circa Religioſos aliquid ſpeciale voluit Pontifex, id Bulla in ipſâ declarauit, vt patet in eſu ouorum & laſciniorum, quem diebus prohibitis noluit Religioſis indulgere; vnde & id expreſſit: ergo ſi excipiendos circa electionem Confessarij voluiſſet, vtique & expreſſiſſet. Cap. *Ad audientiam,* de decimis, & Cap. *Ad hoc,* de celebratione Miſſarum: præſertim cum fauor ſit, & ita non negandus; cum privilegia in Bullâ conceſſa debeant amplè interpretari, vt volunt multi Doctores, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 1. Traſt. 11. Reſolut. 98.* bonas indicans rationes; & alij item, quos cum adductis à Diana congerit P. Mendus *Diſput. 1. num. 45.* quos & ſequitur *num. 46.* & ſeqq. P. Quintanad. *Tomo 1. Traſt. 8. Singulari 5. num. 3.* & alij, qui inter ceteras rationes, quas afferunt, illam adhibent: quia ad abſolutionem melius obtinendam conducunt. Ex quo ſit latam interpretationem in ordine ad electionem Confessarij adhibendam eſſe, cum ad abſolutionem melius obtinendam dirigatur.

Doctores
auctoritas
pro eadem.

325 Accedit Doctorem complurium auctoritas ita ſentientium, aut probabile exiſtimantium, ex quibus ſunt Emmanuel Rodericus, P. Henriquez, Ludouicus Lopez, Dominicus So-

tus, quos adducit Fr. Ioannes Baptiſta. *V. Cruciata.* Vbi ex Ludouico Lopez ait multos viros doctos huic parti ſuffragari. Baſilius Pontius, Ioannes Sancius, Ioannes à Cruce, Valerus, Clarus, Riſus, Mendoza, Freytag, & plures Salmanticenſes Magiſtri apud Leandrum à Sacramento *Tomo 1. Traſt. 5. Diſput. 12. Quæſt. 58.* qui probabile reputat. Et apud Dianam *Parte 1. Traſt. 11. Reſolut. 14.* & *Parte 4. Traſt. 4. Reſolut. 43.* & *Parte 11. Traſt. 6. Reſol. 37.* vbi alios addit, ſcilicet Mug. Gallegum, & Martinum à S. Ioseph. quorum ſententiam ait ſe non audere vt improbabilem reprobare. Trullench *Lib. 1. 5. 7. cap. 1. dub. 9. n. 11.* vbi Religioſos Societatis in eadem eſſe ſententiâ ait, & ab eſdem præſertim. Candidus, Corneius, Euſebius de Herrera, & Thomas Hurtadus, quos allegat & ſequitur Benedictus Remigius in *Praxi Parochorum editionis, 4. Traſt. 5. Cap. 5. 5. 4. à num. 5.* vbi mordicus pro iſtâ decernat poſitione. Et huius Auctoris opus approbans P. Ouiedus, vt ex eius Cenſurâ initio eiuſdem conſtat, videtur etiam ſententiam iſtam approbare, dum opinionum omnium delectum laudat in Auctore, & earum fundamenta. Eandem poſt longum diſcurſum abſolutè non probans Thomas Hurtadus *Tomo 2. Traſt. 9.* non improbabilem pronuntiat, malè citato Diana *Cap. 12.* Pro quâ ſingulariter certat Fr. Iuniparus à Drepano Minorita ex Reformatis ſtrictioris obſeruantie; Prouincialis Panormitanus, & Urbani Octavi Capellanus Pœnitentiarius apud Lateranum, in *Traſtatu de Calibus reſeruatis, 1. Parte 2. Quæſt. 5.* qui *Cap. 15.* & *ultimo,* plures adducit ſubſcriptiones diuerſorum Ordinum Magiſtrorum, addens Patres Societatis ſubſcripturos, ſi per Conſtitutiones non eſſent impediti: *Cum iſdem nobis* (verba illius ſunt) *mirè perſuaſerint, vt eamſem opinionem typis mandarem, tamquam cunctis Regularibus quam maxime neceſſariam: quorum nomina, bonis ducti rationibus, ſubſcribemus.* Sic ille.

Fr. Iuniparus à Drepano.

Non eſſe
probabilem
ab intrin-
ſeco conclu-
ditur.

P. Suarez
ſic reſtatua.

Cardinalis
etiam Lu-
go.

326 Sed his non obſtantibus ſententiâ dicta per principia intrinſeca non apparet probabilis, quòd expreſſè affirmat P. Suarez *Tomo 4. de Religione, Traſt. 9. Lib. 2. Cap. 16. num. 9.* vbi de Religioſis in praxi illam ſequentibus ſic concludit: *Ego verò exiſtimo eos magis fundari in ignorantia, putantes contrariam ſententiam eſſe præſertim probabilem: ſic reſtatua, quòd ego mihi non exiſtimo.* Sic ille. Cardinalis Lugo *Diſput. 20. de Pœnitentiâ, num. 198.* ita ſcribit: *Hæc reſponſio multipliciter impugnari poteſt, & ſimul probari noſtra ſententiâ argumentis adeo claris, vt in re morali ſanciant demonſtrationem, & num. 193.* ita ſcribit: *Quidquid ſit de eorum auctoritate, qui id aſſeruerunt, qui forteſte re non ſatis examinata, nec fundamentis contrarijs viſis iudicarunt: iam tamen accedente declaratione Sedis Apoſtolicæ, quæ, vt vidimus, Conſeſſiones illas irritas fuiſſe declarauit, ceſſare omnino quamlibet probabilitatis ſpeciem, quæ reuerà ſit probabilitas: ignorantia enim vel pertinacia alicuius, qui ſine ſufficienti fundamento teneat, vel dicat id eſſe probabile, quòd probabile non eſt, non ſufficit ad acquirendam iuriſdictionem.* Sic vir ille ſapentiſſimus Romæ ſcribens, vbi de Pontificis mente notiſſiam habere potuit clariorem: licet ad ſic pronuntian- dum adeò vrgentiâ fundamenta ſint, vt & Romæ antipodæ, vel ſi remotiores quiquam ſimiliter poſſint & debeant iudicare. Magiſter Veracruz